

censuram necesse est, ut Clerici percussio ex suadente diabolo facta sit, ita ut nequeat à lethali culpa excusari. Cum autem ira, ex qua puella gravem alapam Clerico inflxit, non alio ex fonte, ut appareat, orta sit, quam ex zelo servandæ propriæ honestatis, dicendum est, eamdem pueram utpote à gravi culpa in nostro casu immunem, excommunicationis poenam nullatenus incurrisse. Et quamvis certo non sciret, an idem Clericus ad ejus sinum manum extendens eam vere tangere vellet, necne, hoc nihil obstat, cum ad justum defensionis titulum vehemens imminentis injuriæ præsumptio sufficiens sit, non autem laesionis futuræ certitudo omnimoda requiratur. Potuit igitur puella contra hujusmodi manus extensionem, quæ ut plurimum terminare solet ad tactum, prætermissa verborum defensione, quæ nihil, vel raro prodest, verbere se tueri, cumque ex tali facto commendanda potius sit, quam objurganda, nullam Excommunicationis poenam incurrisse, dicendum est. Ita cum Bonac. in Bullam Cœnæ disp. 2. q. 2. punct. 6. §. 1. n. 3. aliisque communiter.

CAS. II. Paulus senex confitetur se in ætate adolescentiæ plura commissione obscena, nec tamen recordari, an ea confessus fuerit, sed vaide timere se ea silentio præteriisse. Q. quomodo Confessarius in casu se geret.

Respondeo. Ex quo Paulus præcise non recordetur an obscena, quæ in adolescentiæ ætate commisit, confessus sit, nulla oritur in ipso obligatio, cum de hac re recordari non teneatur, præsertim post diuurni temporis lapsum, & in ætate senili, in qua memoriae vigor decrescit. Ex quo autem idem Paulus valde ulterius timeat, ne prædicta obscena tacuerit, debet Confessarius mediis opportunitis interrogationibus investigare, unde nam oriatur hic magnus timor; si enim valde timeat ex levi fundamento, ut scrupulosis accidere solet, prædictus timor nihil faciendus est; si vero valde timeat, ex quo sciens, vel dubitans obscena, dum ea commisit, esse peccata, credat se ob ruborem, vel similem causam eadem in confessionibus factis silentio præteriisse: in tali casu consulendus est idem Paulus, ut vel tantum obscena, quæ timet tacuisse, clavibus de præsenti subjiciat, si bona fide in confessionibus factis processit, vel ut una cum obscenis etiam integras repeatat confessiones, si ex quo mala fide in eisdem faciendis processerit, sacrilege factas esse dignoscatur. Et hoc modo juxta circumstantias superius recensitas Confessarius in casu cum poenitente suo se geret. Ita cum Giribald. de penit. cap. 11. num. 4. & 6. Dian. part. 3. tr. 4. resol. 108. Maledern. q. 4. art. 8. n. 14.

CAS. III. Parochus assistere renuit Matrimonio, quod Caja contrahere vellet cum Titio, qui à nativitate surdus simul, ac mutus est. Q. ita bene se gerat.

Respondeo cum distinctione. Si Titius à nativitate surdus simul, & mutus nullo modo significet se intelligere, quod ad substantiam Matrimonii pertinere certum est, optime se gerit Parochus, si tali Matrimonio assistere renuit, ne illi assistat actu, quam ex necessariæ cognitionis consensuque defectu iure merito invalidum, ac nullum putat. Si vero ex signis, & nuntiis ipsius Titii possit Parochus fieri moraliter certus eumdem agnosceret, quid agat, Matrimonium contrahendo, male se gerit Parochus, si prædicto

Matrimonio assistere, alio non obstante impedimento, recusat. Ratio est, quia si nullum datur dirimens impedimentum, & contrahentes agnoscent quid agant, validum & licitum est Matrimonium, cui proinde Parochus ex officio tenetur assistantiam suam præbete; dum secus, nimis foret hominum dictorum conditio, si à conjugalis status electione absolute, & absque ullo discrimine prohiberentur. Ita cum Bos. de Matr. cap. 3. num. 53. Rosignol. de sponsal. contr. 14. disp. 1. §. 9. Sanch. de spons. disp. 6. n. 11.

MENSE SEPTEMBRIS.

CAS. I. **F**iliusfamilias sub spe lucrandi officium valde honestum, & utile recusat recognoscere publicis externis actibus Patrem utpote vilis conditionis, licet eumdem interne diligt, & externis etiam pecuniae subsidiis adjuvet. Q. an dictus publicus agendi modus possit in casu licere.

Respondeo affirmative. Cum enim negligere tales actus externos in casu non proveniat ex defectu filialis obsequii in Patrem, sed ex fine lucrandi officium valde honestum, & utile, quo non tenetur filius in Patris gratiam privari, dicendum est prædictum publicum filii cum Patre agendi modum posse in casu nostro licere. Eo præcipue quod Pater in casu nequit esse rationabiliter de dicto agendi modo invititus; cum ex una parte ipsi Patri cordi esse debeat filiorum honor, atque decens utilitas, & ex altera pietas filii in ipsum per subsidia ipsi à filio præstata sufficienter manifestetur. Quamvis itaque prædictus agendi modus filio in honore jam constituto non liceat, quia tunc publicis externis actibus recognoscere Patrem quantumvis vilem nullum ipsi filio præjudicium potest afferre, oppositum tamen dici debet in casu, ne filius, quod lucrari sperat, cognoscendo externis actibus Patrem, magno sui detrimento amittat. Ita cum Rosig. de patr. potest. disp. 3. cap. 1. num. 13. Bonac. in 4. decal. præcept. disp. 6. quæst. unic. punct. 2. num. 4.

CAS. II. Franciscus obtinuit à Sancta Sede dispensationem impedimenti affinitatis, sed exprimendo copulam, quam habuit cum sua affine, non expressit intentionem, quam per dictam copulam habuit, obtinendi scilicet facilius dispensationem. Q. an obtenta dispensatio sit nulla.

Respondeo affirmative. Quamvis enim diversimode sentiant Auctores circa valorem, vel subsistentiam dispensationis super affinitatis, vel consanguinitatis impedimento à Sancta Sede obtentæ, quando in supplici libello reticitur vel copula habita, vel prava intentio obtinendi facilius vi copulæ habita dispensationem; adhuc tamen pro praxi dicendum est dispensationem obtentam sine prævia manifestatione prædictæ copulæ, præque intentionis, nullam, ac subreptitiam esse, cum ita à Summis Pontificibus statutum sit, ut validius inter consanguineos, & affines detestabile incestus crimen impediatur. Hoc tamen intelligendum puto, primo, quando prædicta intentio fuit exterius manifestata, cum Ecclesia de internis non judicet: secundo, quando eadem intentio fuit inter copulam habentes reciproca, cum æquum non sit, ut unius delictum alteri noceat: tertio denique quando alia sufficiens

dispensationis causa enarrata non fuit, cum secus obligatio manifestandi si-
ve copulam, sive intentionem in copula habitam non videatur amplius ur-
gere. Ita cum Sanch. de Matr. l. 8. disp. 25. num. 30. & 31. Corrad. in
praxi dispen. l. 6. cap. 1. num. 36. & seq.

CAS. III. Juvenis in ætate annorum viginti constitutus, cum esset gravi
infirmitate detentus, vovit, si convalesceret, determinato infirmorum Xenodo-
chio toto vita suæ tempore inservire. Cum autem infirmitatem suam per-
fecte evaserit, vellet adhuc per aliquod tempus voti sui executionem differ-
re. Q. an, & per quale tempus hoc liceat.

Respondeo. Licere, sed ad modicum tempus. Ratio primæ partis est, quia
dum dicitur, quod conditionate vovens purificata condicione teneatur statim,
seu quam primum potest, votum suum implere, illæ particulæ statim,
seu quam primum, accipi debent juxta communem prudentium virorum
sensum, in quo aliquam semper temporis dilationem admittunt; sicuti alias
similes obligationes sub dictis particulis enuntiatas explicare solemus. Ra-
tio secundæ partis est, quia ubi non datur rationabilis causa differendi ad
notabile tempus voti facti executionem, licita esse nequit prædicta dilatio
juxta illud, quod legitur Deuter. 23. Cum votum voveris Domino Deo tuo, non
tardabis reddere, & si mortuus fueris, reputabitur tibi in peccatum. Cum au-
tem, ex quo juvenis noster perfecte jam convaluerit, & attenta ejus anno-
rum viginti ætate, sit jam bene aptus, ut Xenodochio de præsenti inserviat,
nulla appareat rationabilis causa differendi ad longum tempus voti facti exe-
cutionem, immo ex quo votum perpetuum sit, quo magis differtur ejus-
dem executio, minus de eodem reddatur Deo, dicendum remanet, nequaquam
licere, ut idem juvenis ultra modicum aliquod tempus, puta ultra
spatium quatuor, vel quinque mensium Xenodochio, ut vovit, differat in-
servire. Ita cum Spor. de voto cap. 2. sect. 3. num. 111. & 117. Tambur.
l. 3. in decal. c. 12. §. 3.

M E N S E O C T O B R I S.

CAS. I. Capellanus institutus ut quotidie absque ulla vacatione juxta
institutoris mentem celebret, dubitat, an juxta eamdem cele-
brare teneatur sive in die Commemorationis omnium Defunctorum, sive
in Coena Domini, si aliquando hac die ei celebrandum occurrat. Q. dubii
solutio.

Respondeo, pro dubii solutione per se loquendo, teneri prima, non autem
secunda die. Ratio pro prima est: quia cum ex nulla positiva lege, vel
approbata consuetudine vim legis habente, satis constet applicationem Sacri-
ficiorum tali die fieri debere juxta mentem Pontificis, vel Ecclesiæ Defunctorum
omnium suffragium, nulla adest efficax ratio excusandi Capellatum
nostrum, si tali die Sacrificium non offerat juxta mentem sui institutoris.
Ratio pro secunda est: quia si die Cœnae Domini aliquando celebrare con-
tingat, hoc non de jure aliquando communi, sed ex peculiari Superiorum
indulto, & favore tali personæ concessa procedit; tali autem favori deroga-
re non potest dispositio institutoris, cum iste nequeat Capellano à se ins-

ti-

tituto aliam celebrandi obligationem imponere, præter illam, quæ de jure
communi permissa est: ita ut illæ particulæ, quotidie, absque ulla vacatio-
ne &c. illos quidem respiciant dies, qui vel ob majorem decentiam, vel
ob aliud motivum solent de jure communi ad non celebrandam conce-
di, non vero illos, in quibus ex peculiari aliquando favore, ac privilegio
celebratur. Ita cum Pasqual. de Sacrif. quæst. 1133. & 1135. & aliis.

CAS. II. Rusticus Paterfamilias, ex quo audierit plures gabellas imposi-
tas esse ad pompas immoderatas publice sustinendas, vehit ut plurimum in
Civitate fructus ejusdam sui prædii absque solutione gabellæ. Q. an licite
hoc faciat.

Respondeo cum distinctione. Si ex ore vulgi præcise audivit Rusticus ga-
bellas plures fuisse impositas ad pompas immoderatas publice sustinendas,
dico eundem gabellas fraudando, illicite operari, quia cum vulgus pluri-
mum obstrepare soleat, quando imponuntur, vel augmentur gabellæ etiamsi
ex iusta, & rationabili causa hoc fiat, ipsius vulgi dictum nequaquam præ-
bet rationem vere probabilem, quæ ab earumdem gabellarum solutione ex-
cuset. Si vero gabellas prædictas sic esse impositas audivit Rusticus noster à
viris honestis, & fidedignis, tunc censendum est rationem vere probabilem
ipsi favere, ut licite possit vehere in Civitatem prædii sui fructus absque
solutione gabellæ; cum enim non temere judicet tales gabellas contra juris re-
gulas fuisse impositas, optime potest ab earumdem solutione excusari. Hoc
tamen intelligendum est, dummodo absit periculum depauperandi se, &
familiam in amissione rerum, quas vehit sine solutione gabellæ, stante enim
tali periculo, cui licite se, aliosque exponere nequit; etiam si gabellæ non
forent jure impositæ, easdem licite fraudare nequaquam potest. Ita cum Lu-
go disp. 36. dissert. 6. Less. 1. 2. cap. 33. num. 67. Girib. de just. i. cap. 5.
num. 58.

CAS. III. Cum dies anniversaria, qua Missa de Requiem juxta Testatoris
mentem celebrari debebat, in duplex primæ classis festum inciderit, judica-
vit Parochus eamdem Missam die immediate sequenti, quæ erat de duplice,
statim minori celebrandam fore. Q. an rectum fuetit Parochi prædicti ju-
dicium.

Respondeo negative. Ut enim celebrari possint Missæ de Requiem in die,
quæ sit de ritu duplice, sive majori, sive minori, requiritur copulative, &
quod tales Missæ sint à testatore præscriptæ, & quod, dies in qua celebra-
tur, sit vere dies illius obitus annua, ita enim disposuit Sacra Rituum Con-
gregatio, ut ex ipsis Decretis hac de re editis, die 22. Novemb. 1668. &
25. Sept. 1669. videtur est. Cum igitur in nostro casu dies immediate se-
quens ad festum primæ classis, in quo Missa de Requiem celebrata non fuit,
non sit amplius dies annua obitus Testatoris, dicendum est, non posuisse tal-
i die, utpote de ritu duplice quantumvis minori, Missam antecedenti die
omissam, celebrari; sed debuisse in alteram diem nullo duplice ritu impedi-
tum ejusdem Missæ celebrationem transferri, & proinde, cum secus à Paro-
cho nostro fuetit judicatum, rectum non fuisse ipsius judicium censendum
est.

Q 2

MEN-

CAS.I. A Dolescens in arte scribendi peritus, ut cum Caja sibi affine Matrimonium sine sumptu contrahere posset, falsum construxit Breve Datariae, in quo opportuna dispensatio continebatur. Cum autem, ejus fraude detecta, confugerit ad Ecclesiam, petuit ab Ecclesiæ Rectore, an esset in tali loco securus: cui Rector affirmative respondit. Q. an bene responsum fuerit.

Respondeo affirmative. Quamvis enim Brevia, quæ solent à Dataria pro dispensationibus Matrimonialibus expediri, utpote nomine ipsius Pontificis scripta, jure merito inter Apostolicas Litteras enumerentur; adhuc tamen dicendum est, adolescentem nostrum, qui falsum Datariae Breve construxit, nequaquam Ecclesiæ, ad quam ejus fraude detecta confugit, securitate privari. Ratio est, quia inter casus à jure asyli exceptos, quos Benedict. XIII. per suam Bullam, quæ incipit: *Ex quo Divina*, illis addidit Bullæ Gregorianæ, recensetur ille dumtaxat falsificantum; non vero falso constructum Apostolicas Litteras, ut ex verbis laudatæ Bullæ appetat. Cum igitur ex una parte sit quid diversum veras Litteras falsificare, ac falsas construere; & ex altera lex in odiosis ex communi regula restringenda sit, non amplianda: dicendum superest, Adolescentem in casu poenarum quidem incurrisse in Bulla Coenæ contentas, cum in illa tam Apostolicas Litteras falsificantes, quam falso fabricantes distincte, & expresse recenseatur, non tamen Ecclesiastica Immunitate privari, cum in Benedictina Bulla falsificantum quidem, falso autem fabricantium mentio nullatenus fiat.

CAS. II. Petrus Confessario suo exponit ad facilius obtinendam impedimenti consanguinitatis dispensationem falso in supplici libello narrasse se cum consanguinea, quam in uxorem jam duxit, carnalem copulam habuisse; quid agendum, ut Matrimonium prædictum ex invalido in validum transeat.

Respondeo. Ad Datariam iterum scribendum fore. Ratio est, quia licet alii obreptionis, vel subreptionis defectus, per quos dispensationes à Dataria obtentæ nullæ sunt, quamdiu occulti remanent, possint, ac soleant per favorabilem Pœnitentiariæ rescriptum sanari, ut contingere ex. gr. si ipsa copula habita cum affine, quam quis in Matrimonium ducere intendebat, non fuisset in supplici Libello narrata; adhuc tamen ad casum copulæ falso narratae ejusdem Pœnitentiariæ facultas nequaquam se extendit, cum in Innocentii XII. Bulla super Pœnitentiariæ facultatibus de revalidandis Matrimoniis nulliter contractis ex causa subreptionis occultæ Litterarum Apostolicarum efformata casus noster expresse excipiatur per hæc verba: Præter quam, si falsitas consistat in narratione præcedentis copulæ, quæ tamen antea non intercesserat. Ut igitur Petri Matrimonium ex falsa copulæ narratione invalide cum consanguinea contractum in validum convertatur, nova impedimenti dispensatio ex justæ causæ narratione à Dataria petenda est, ut Instructione à Sanct. Domino nostro die 2. Oct. 1738. hac de re edita subnum. 10. luculentissime edocemur.

CAS. III. Ut contra usurpatorem prædii ad Ecclesiam Parochiale spectant-

tantis expensas litis sustineat Parochus opportunam pecunia summam à Cajo recipiens, passivum censem super alio ejusdem Ecclesiæ prædio fundaverit. Q. an licite, & valide prædictum censem fundaverit.

Respondeo negative, quoad utramque partem. Ratio est, quia contractus quilibet, quoad dominium aliquod sive directum, sive urile Ecclesiasticæ rei sive immobilis, sive mobilis pretiosæ, quæ servando servari potest, in aliud sine debita facultate, & solemnitate, transferatur, illicitus, & invalidus est, ut aperie colligitur tum in Extravag. Ambitiosæ, tum in cap. Nulli de rebus Ecclesiæ non alienandis. Cum autem prædictum dominium circa illam prædii partem, quæ pro quantitate receptæ pecunia subiecta est, in ipsum Cajum à Parocho transferatur, & ex altera parte nulla fiat mentio, quod debita facultas, atque solemnitas in casu nostro adfuerint, dicendum remaneat factam census impositionem, etiamsi ad sustinendas contra alterius prædii usurpatorem, litis expensas fuerit ordinata, ita prohibitam esse, ut prorsus illicita, & irrita censeatur. Ita cum Bonac. de alieno honor. Eccles. q. unic. punct. 2. n. 9. Riccio decis. 49. & 71.

CAS.I. H Omo dives, simulque pius, & humilis proxime moriturus, disposuit, ut eo defuncto, ejus cadaver absque omni prorsus, funebri pompa ad tumulum deferatur, cui depositioni Parochus restitut. Q. quinam laudandus, dives ne, an Parochus.

Respondeo cum distinctione. Si pro funebri pompa id præcise intelligatur, quod ad nobilium, & altiorum graduum distinctionem fieri solet, non Parochi resistentia, sed divitis dispositio laudanda est, cum id elegerit vir pious, & humilis, quod magis Deo placere compertum est. Si vero funebribus pompa nomine veniant pii, ac religiosi illi ritus, quos in sepeliendis mortuorum corporibus Beatorum Apostolorum exempla secuta, ac regulis Sanctorum Patrum instructa servat Ecclesia, dicendum est Parochum, non vero divitem, laudandum fore. Cum enim aperie prescribat Rituale Romanum tit. de Exequiis, ut Sacras Cæremoniæ, ac Ritus, quibus Sancta Mater Ecclesia in filiorum suorum exequiis uti solet, Parochi summo studio observare debeat, atque usu retinere, & hoc idem per Edictum sumum Clemens XI. confirmaverit, ut in ejusdem Bullario videre, jure merito infertur, quod executioni mandari non debeat ultima defunctorum voluntas in ea parte, in qua eorum corpus absque ulla honorificentia ab Ecclesia instituta humari prescribant, ut jam ab anno 1699. 15. Jun. etiam Romana Rota de funeribus definivit.

CAS. II. Cum duo Peregrini Romam devotionis causa adentes, quadam die in via rixari, baculis, quos præ manibus gerebant, graviter ad invicem se percusserint, reconciliatis inde animis pro obtinenda Sacramentali absolutione ad proximorem Parochum accesserunt, qui eosdem absolvit. Q. an vere potuerint à simplici Parocho absolviri.

Respondeo affirmative. Ratio est, quia si aliqua in oppositum dubitandi ratio adesse potest in casu, illa maxime est propter excommunicationis censuram,

ram, quæ lādentes Romipetas Bulla Cœnæ perstringit; prædicta autem ratio nihil evincit: nam laudata Bulla exprimit quidem interficientes, vulnerantes, ac mutilantes; simpliciter vero percutientes non exprimit; quos tamen exprimere debuisset, si etiam hos voluisset Pontifex latæ excommunicationis pœnæ subjectos. Cum itaque in pœnis verba stricte sint accipienda, ut cap. in pœnis de reg. jur. in 6. dicendum est, Peregrinos nostros, qui se invicem baculis percosserunt, nullam incurrisse censuram, quod valet etiamsi graviter se percutiendo, aliqua carnis contusio, tumor, vel macula in cute apparere, dummodo nullum verum vulnus inflictum sit. Posito autem quod Peregrini prædicti, nulla reservata excommunicationis censura, innodati remanserint, in dubium verti non potest eosdem potuisse à simplici Parochio absolvī. Ita cum Duard. l. 2. can. 10. quæst. 2. num. 2. UgoLIN. cap. 10. v. vulnerantes num. 2. Bonac. in Bullam Cœnæ quæst. 11. punct. 1. num. 3.

CAS. III. Cajus juvenis ad donum perseverantiae in castitatis virtute impetrandum diei sibi bene visæ singulis annis eligendæ in honorem Sancti Joannis Apostoli jejuniū vovit. At talis jejuniū inde pertæsus opinatur per unicum jejuniū pervigilii Nativitatis Dominicæ posse simul votum à se emissum implere. Q. an opinio prædicta possit admitti ut iusta.

Respondeo negative. Quamvis enim per se loquendo unico actu possit quis pluribus obligationibus satisfacere, adhuc tamen non videtur posse juvenem nostrum unico pervigilii Nativitatis Dominicæ jejuniū, & Ecclesiæ præceptum & votum à se emissum implere. Ratio est, quia votum jejunandi in honorem Sancti Joannis Apostoli à Cajo emissum videtur cadere supra jejuniū alias non debitum; tum quia novam carnis afflictionem debuit idem Cajus intendere, dum eam ordinavit per votum ad donum perseverantiae in castitatis virtute impetrandum; tum, quia, ut dicitur in casu, jejuniū in voto promissi Cajus fuit inde pertæsus, quod nisi de novo jejuno intelligi apie non potest. Dicendum itaque, quod etsi Cajus sit liber in electione diei projejunio, cum jejuniū voverit diei sibi bene visæ singulis annis eligendæ, non tamen ita liber est, ut possit, tamquam iusta admitti opinio illa, quæ putat eadem die, quā jejuniū aliquod ab Ecclesiæ præscriptum est, ut est illud pervigilii Dominicæ Nativitatis, posse simul jejuniū votum à se emissum implere. Ita cum Girib. in primum Decal. præc. c. 5. n. 7. Mazuch. n. 16.

ANNO MDCCXLI.

MENSE JANUARII.

CAS. I. **B**eret adulteræ mortem minatur Maritus, si adulterii commissio veritatem occultat, unde ipsa à Confessorio consilium peti. Q. quid illi sit consulendum.

Res-

Respondeo cum distinctione. Si novit Berta Marito certo innotuisse adulterium, consultius erit veniam injuriæ petere, ac pœnitentiæ signis Conjugis iram lenire, ne forte ipsius furorem in se magis concitet, si cognitam veritatem voluerit pestinaciter occultare. Si vero Maritum de adulterio à Berta patrato levia dumtaxat indicia, levemque habeat suspicionem, consulendum erit Bertæ, ut se adulterium commisisse neget, negationemque, si opus sit, juramento confirmet, intelligendo, intra se non commisisse adulterium, quod teneatur Marito interroganti aperire. Quamvis enim amphibologica, & æquivoca locutio, ubi nulla intervenit rationabilis causa, adhibenda non sit; licitus tamen est ejus usus, quando agitur de evitando gravi damno famæ, & vitæ, ut in nostro casu contingit. Neque uteretur Berta in casu restrictione pure interna, & mentali, quia de facili potest Maritus agnoscere, UXorem non teneri cum tanto propriæ infamiæ, & vitæ periculo turpitudinem suam fateri. Ita Cardenas in propos. damnat. dissertat. 19. cap. 2. num. 17. Piselli p. 1. tract. 4. cap. 2.

CAS. II. Cajus perpetuo carceri justa de causa mancipatus pluries tentavit fugam, & demum fracto carcere, fugiit. Q. an peccaverit sive tentando fugam, sive frangendo carcerem.

Respond. negative quoad utramque partem. Ratio primæ partis est, quia perpetui carceris pœna, quæ pœnæ mortis æquiparatur, adeo gravis est, ut reus, quamdiu spes affulgeat, jus omne ad illam evitandam retineat, cum nulla potestas humana, nisi aliud postulet commune bonum, ad illam subeundam valeat obligare. Ratio posterioris est, quia cum licitum sit in casu fugam arripere, licita quoque esse debent media ad fugam, & consequenter ipsa carceris fractio, sine qua ex hypotesi fuga haberi non potest. Cum igitur hic non agatur vel de gravis communis boni periculo, vel de aliqua judicis, aut ministrorum injuria, aut læsione, poterit, ad summum dici, Cajum teneri ad reparandum damnum secutæ fractionis, numquam vero eumdem, sive tentando fugam, sive frangendo carcerem, peccasse. Ita D. Thom. 2. 2. q. 69. art. 4. ad 2. Lugo de just. & jur. d. 4. sect. 4. num. 41. & 42.

CAS. III. Cum ruralis Parochus, ad consecrandam Particulam pro ministrando Viatico Parochiano moribundo, Missam celebrare deberet, noluit celebrare, quia Altare carebat luminibus opportunis. Q. an bene se gesserit.

Respondeo cum distinctione. Si pro parentia luminum opportunorum, parentia quorumcumque luminum absolute intelligatur; dico Parochum se bene gessisse. Ratio est, quia in quacumque hypotesi, sive diei festi, sive Viatici ministrandi, illicitum est, ut pote contra reverentiam debitam Sacrificio, Missam absque omni lumine celebrare. Si vero intelligatur tantummodo parentia luminum in qualitate, aut numero per rubricas præscripto, male Parochum se gessisse, dicendum est. Quamvis enim ex rubricarum lege duobus saltem lumina ex cera quolibet Sacrificio sint adhibenda, lex ista, præcisus scandalo, urgere non debet in casu necessitatis, qualis ille est, in quo noster Parochus reperitur; in hoc enim casu, & unicum lumen sufficere, & illud sive ex cera, sive oleo, aut sevo confectum sit, sufficienter posse insertivire com-